



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

4. Disciplina quid sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

*Sequitur notificatio disciplinae prout hic sumitur. Et subduntur aliae descriptiones duae Hugonis de sancto Victore: quarum prima videtur esse sumpta ex verbis beati Augustini: ut in capitulo sequenti patet.*

## CAPVT IIII.

**D**isciplina est morum ordinata correctio: & maiorum Patrum regularis obseruatio. *Quo notissimatur disciplina prout hic sumitur.* Item Hugo de sancto Victore. Disciplina est conuersatio bona & honesta: cui parum est non malum facere: sed studet in his quae benè agit, etiam per cuncta irreprehensibilis apparere. *In tract. de Inst. nouit. cap. 10. 10. 2.* Hæc descriptio videtur sumpta esse ex verbis Augustini in regula, dicentis: In incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum: sed quod uestrâ deceat sanctitatem. Item Hugo de sancto Victore. *In tract. de Inst. nouitiorum, cap. 10.* Disciplina est omnium membrorum motus ordinatus: & dispositio decens in omni habitu & actione, Bernardus in epistolis notificat disciplinam per effectum his verbis: Disciplina ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, iram sedat, format incessum. *Epistol. 112. paul. à fine.* Disciplina ista videtur idem esse quod modestia, de qua loquitur Philosophus: Cuius est decorem seu decentiam seruare in exteriori conuersatione, & est decor iste respectu aspectus hominum. Ad cognoscendum verò vtrum aliquid sit decorum vel decens vel non, attendendum est, an sit naturæ consentaneum: & an sit dignum persona quæ hoc agit, vel cum qua agitur. Attendendum est ad congruentiam

ten-

*Ecccl. 20.*

temporis vel loci. Decorum est in homine, quod est consentaneum excellenti naturæ hominis. Est aliquid indecens in homine, quod non est indecens in bruto. Item aliquid est indecens in persona prelati, quod non est indecens in persona priuata. Item aliquid est indecens in religioso, quod non est indecens in persona seculari. Item aliquid est indecens, quia deest congruentia temporis, secundum illud: Ex ore fatui reprobabitur parabola: quia non dicit eam in tempore suo. Ratione etiam loci aliquid indecens: ut in loco sacro aliquid fit indecenter, quod alibi fieret decenter.

*De commendatione Disciplina.*

CAPVT V.

*In tract. de  
instit. noui-  
tiorum, ca.  
10.*

**S** Equitur de cōmendatione disciplina: quam Hugo de S. Victore commendat his verbis: Disciplina est comes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frenum lasciuie, elationis iugum, vinculum iracundiæ: quæ domat intemperantiam, leuitatem ligat: & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus suffocat. Sicut ignis extinguitur cum premitur, & flamma exire non permittitur: sic mentis inordinatio quasi suffocatur, cum per disciplina custodiam motus eius foras fluere non sinuntur. Destruitur naturalis virtus, cum diu est quod in operationem non exit: ut visus amittitur in tenebris, similiter virtus consuetudinalis deficit, si in operationes suas non exeat: ex operibus verò suis conseruatur, roboratur, & augetur. Sic vitia animi deficiunt, cum ab operibus suis exterioribus